

Q. D. B. V.  
DISSERTATIONE  
DE

1723, 3

**JURIS CANONICI  
PRÆJUDICIIS IN CAUSIS  
PUBLICIS S. R. IMPERII,**

Ad audiendam Orationem Inauguralem

Qua  
*Professionem Juris Primariam*

clementissime sibi demandatam

*d. 11. Jul. hora IX. matutina*

in AUDITORIO JCTORUM auspicaturus est

MAGNIFICUM UNIVERSITATIS RECTOREM,  
UTRIUSQUE REIPUBLICÆ AMPLISSIMOS EXCEL-  
LENTISSIMOSQUE PROCERES, GENEROSISS.  
NOBILISSIMOSQUE CIVES,

Omnesque bonarum artium ac literarum Cultores,  
officiosissime invitat.

**CHRISTIANUS GODOFREDUS  
HOFFMANNUS,**

SACRAE REGIAE MAJESTATIS BORUSSIAE  
Confiliarius intimus, Decretalium ac Juris publici Professor,  
Facultatis Juridicae Ordinarius.

¶

FRANCOFURTI ad VIADRUM,

Literis JOH. CHRISTOPH. SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.

D. R. N.  
DISSERTATIONE

JURIS CANONICI  
PRAEJUDICIS IN CAUSIS  
PUBLICIS S. R. IMPERII

Ad audiendam Oratoriam inauguralem  
Professionem Juris Primariam  
clementissime sibi demandatam  
A. M. Jul. Id. IX. Martii

in Auditorio Actorum audieturus est  
MAGNIFICUM UNIVERSITATIS RECTOREM  
UTRUSQUE REPUBLICAE AMPLISSIMOS EXCEL-  
LENTISSIMOSQUE PROCERES, GENEROSOS  
NOBILISSIMOSQUE CIVES  
Omnesque bonarum artium ac litterarum Cultores  
officiosissime invit.

CHRISTIANUS GODOFREDEUS  
HOFMANNUS  
SAEPAE REGIAE MAJESTATIS BORUSSIAE  
Conditiarius inimus Decretalium ac Juris publici Professor  
Facultatis Juridicae Ordinarius

FRANCOFURTI ad VIADURUM  
Petrus Joh. Christianus Schwanke, Acad. Reg. Typogr.





**N**ondum eluxit Academia Via-  
drina summi Jcti Perillustris  
HENRICI de COCCEJI Viri  
immortalium meritorum obitum,  
in quo irreparabilem se passam esse  
jacturam non sine acerbissimo do-  
lore sensit haecenus & gravius &

diutius sentiet. Quamvis autem non ignorem, quam  
difficile si tanti VIRI, JCrorum facile Principis amissi  
partes suscipere ejusque muneri succedere, & proruptae  
audaciae esse credam ad officia, quae magni hujus Papini-  
ani gloria tam insignite nobilitata sunt adspirare: id ta-  
men factum est, me nec ambiente, nec expectante, sed  
DEO O. M. ita dirigente ut SERENNISSIMUS ATQVE  
POTENTISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS  
**FRIDERICVS WILHELMVS.**

AVGVSTISSIMVS BORVSSIAE REX &c. &c. Domi-  
nus meus clementissimus indulgentissimis litteris, vacan-  
tem in hac Academia Antecessoris primarii locum, addi-  
tis aliis adhuc eximiis beneficiis, quorum me omnium  
indignum esse probe noveram, me occupare, clementissi-  
me jusserit. Equidem mihi eram meae tenuitatis optime  
conscijs, & quam arduum, quam grande esset opus, quod  
aggrederer: inter haec suspensum tenebat animum con-  
natus

A

natus patriae amor, quem summorum Patronorum gratia ad cineres usque deveneranda vehementissime accendebat, ita ut mihi ingrati nota, qua nihil turpius, metuenda esset: Sed quae Dei est providentia, cui meam qualemcunque conditionem omni tempore, pio atque obediente corde commendare ac submittere volui ac debui, eo tandem negotii exitum direxit, ut mihi ex alma Phyllyrea ipso termino, quo concreditos academici regiminis fasces reddebam, ad Viadrinam nostram, & ita a suavissima matre ad ingenuam ejus filiam transeundum fuerit. Praeiverunt Viri celeberrimi, quos incluta illa Musarum in Misnia sedes in hanc illustrem optimarum scientiarum atque artium officinam dimisit, quorum memoriam eo magis salvam & aeternam esse cupimus, quo majora horum Virorum in nobilissimam hanc Vniversitatem fuerunt merita, quae assequi cum nunquam nobis licebit esse tam beatis, inde tamen fausti ominis ansam arripere, atque parem de alma nostra Viadrina bene merendi animum testari, haud nefas erit. Dedit Lipsia primum Academiae nostrae Rectorem **CONRADVM WIMPINAM** *Artium Magistrum, Sacrae Theologiae Professore, & Majoris Collegii Collegiatum.* Quem comitatus est **JOH. BLANCKENFELD** J. V. D. ex Lipsiensi Vniversitate, in qua primum Jus Civile professus est, ad Ordinarii Officium huc accersitus, postea Archiepiscopalis Rigensis sedis antistes clarissimus factus. Eodem tempore **JOHANNES LINDHOLTZ** Lipsiae fama insignis doctrinae publicis scriptis comparata, huc migravit, & splendidissimis Academiae muneribus functus est. De **ADRIANO ALBINO** conterraneo meo, Professore Juris in hac Academia, Principum Marchionum Consiliario & Cancellario Neo-Marchiae, nec non ad comitia & tractatus Passavienses multorumque Principum aulas Legato excellentissimo, **GREGORIO FRANCO,**

CO, aliisque Viris doctissimis nihil dicam, cum evolvi possint, quae de eorum vita, insigni Academiae nostrae, dum viveret ornamentum, JOHANNES CHRISTOPHORVS BECMANNVS litteris consignavit. Haec ex praeteriti aevi monumentis repetiisse operae pretium fuit: mihi inde subnascitur spes, fore, ut antiquo affectu & benevolentia me quoque nostra Viadrina excipiat, qui nemini Antecessorum amore, studio, & fide in rem Academicam, & juventutis studiosae, cujus gratia illustra haec gymnasia instituta esse novimus, utilitatem promovendam unquam cedam, si vel maxime ad Majorum doctrinam & merita adscendere non permisit virium mearum imbecillitas.

Sed ad rem ipsam est deveniendum: in limine clementissime mihi demandati muneris adhuc subsisto, more antiquo docendi provinciam auspicaturus, quod â me dignius atque decentius fieri non poterit, quam si nonnulla, quibus Juris Canonici atque Publici doctrina, quorum professione impolterum in hac Academia fungar, commendari, & ita studiosae juventuti veneratio, atque amor in illa studiorum genera inspirari possit, in medium proferam. De Juris Publici necessitate atque utilitate nihil differam, exploso hodie antiquo errore, illustrissimam illam juris partem academicae institutionis sphaeram egredi: magis e re esse videtur de disciplina juris canonico-ecclesiastici agere, quam in scholis Protestantium pervulgata quadam opinione saepius negligi aut levi modo attingi brachio, & quasi aliud agendo tractari observamus. Tam perniciosi erroris lubrica fundamenta, ni fallor, sufficienter in praefatione ad FRANCISCI de ROYE *Antecessoris Andegavensis* Institutiones juris Canonici detegi, & de praejudicio hoc insigni destruendo aliquando prolixius laborabo. Ego varias non

excusandi hujus neglectus causas conjectando deprehendo, quarum non postrema, quod magna seculi nostri infelicitate atque solidioris scientiae detrimento exitialis illa graffetur in academiis opinio, eam felicissimam Jurisprudentialiae docendae esse rationem, qua celeri, & plerumque praecipitato cursu legitima scientiae amplissimus campus percurritur, & excogitatis innumeris methodorum compendiis, confusa atque indigesta disciplinarum juris tractatio intra breve tempus finitur vel quasi absolvitur. Quo etiam factum, ut juris Canonici sanctiones Systematibus ad Digestorum ordinem compilatis insertae, & nulla habita principiorum his legibus propriorum ratione cum dissimilibus plerumque institutis permixtae tradantur. Alii Protestantium fora & scholas juris Canonici tanquam a Legislatore incompetente conditi doctrina optimo jure carere posse existimant, cui sententiae nihil aliud, quam summa Principis autoritas deesse videtur, qua deficiente nimis liberales illi videntur, qui a docendi jura canonica munere profitentes in academiis & a discendi necessitate discentes expedire audent. Equidem non inficior gravissimos esse errores, quibus jus canonico-pontificium scetet, illosque multum ad corrumpendam omnem juris artem contulisse, non negaverim. Prostant Virorum egregie cordatorum querelae: sudarunt non pauci in enucleandis clericalis dominatus arcanis, & revelando magno illo iniquitatis mysterio: contaminatam alii etiam nostram dicunt Jurisprudentialiam perverfis juris pontificii conclusionibus, quarum ingens copia adduci possent, si id instituti pateretur ratio. Non inquam in illa praesudicia, quae jus pontificium privati juris disciplinae affricuit. Summatim exponam, quam graves errores jus illud, quod a Pontificum emanavit autoritate, foveat, & cum summa imperantium injuria *in materiis*  
 Juris



*Juris publici S. R. Imperii* propugnet, qui tam graves & enormes sunt, ut ipsius reipublicae compagem labefacerent, idque quod sanctissimum & inviolabile esse debet, effrena temeritate atque libidine conculcare non erubescant. Quis ignorat Romanos Pontifices multis abhinc seculis gravissima de universali monarchia erigenda agitasse consilia. Turgent historiarum monumenta insatiabilis hujus ambitionis documentis: nihil intentatum reliquerunt, quo Christianum orbem in servitutem detruderent, eminenti aliquo dominio in Reges atque Principes constituto. Ad opus tantae molis perficiendum apprime conspirant jura Canonica tam artificiose digesta, ut sensum juro Pontificio respúblicae Christianae avescerent. Funestae fuerunt romanae curiae leges secularium principum potestati, atque juris publici universalis quod ex naturali civitatis structura, genuino atque proprio fonte petendum, vim omnem & sensum everterunt. Ea vero quae ab initio generaliter statuta erant, temporis successu ad singulas civitates applicata sunt, ita ut omnes respúblicae Clericalis dominatus tristitia viderint spectacula. Hac via, his artibus juris publici ecclesiastici systema fuit compilatum, quod omnium regnorum atque civitatum jura publica, si non prorsus dissolvit, magnopere tamen convulsit. Dispersa sunt in pontificii juris voluminibus turbulenta illa & temeraria principia, quae sibi tamen arctissima quadam connexionione junguntur, ut me rem non inutilem facturum esse, confidam, si intimiorem aedificii hujus architecturam primis quasi lineis repraesentavero.

Prima igitur cura fuit, ut Clerici Laicorum potestati & jurisdictioni eximerentur, quo fundamentalis juris publici universalis hypothesis, *unam in republica majestatem, cui omnes cives, sive sint Laici sive Clerici debeant esse subiecti*, clandestinis quasi cuniculis subrueretur. Ne tamen tantis ausibus

resisterent Principes seculares suorum jurium memores, caeca prius in rebus fidei introducenda erat obedientia, qua obtenta, nihil inveniri poterat ad stabiliendam eminentiam in universo Christiano orbe aptum, cujus credendi necessitatem, Laicis non imponent. Ita fabula de primatu ab ipso Christo romanae sedis assignato, fuit enata, quam repetiit GRATIANVS *c. 2. Dist. 21. & c. 2. Sacrosancta dist. 23.* ea, quae ex cathedra Petri pronunciata ab omni errore exempta credebantur, statuta regula in *c. 2. dist. 19.* omnes apostolicae sedis sanctiones accipiendas esse, tanquam ipsius divini Petri voce firmatae sint, quam doctrinam corroboravit *cap. 3. X. de constitut.* Jactis his imperii ecclesiastici fundamentis, aliqua primo intuitu modestiae species retenta fuit, assumpta regali, & seculari potestate in regiminis consortium, quod aperte docet *c. 10. Dist. 96.* auctoritatem sacram Pontificum, & Regalem potestatem hujus mundi gubernacula regere. Inter haec occupata erat curia romana in firmando absoluto atque independente imperio in Clericos, resque, ut appellabant ecclesiasticas. Primo quidem exstruebatur forum ecclesiasticum solis Clericis proprium: Laico non licebat Clericum accusare, *c. Laico 3. qv. 7. c. 2.* remoto omni seculari iudice *c. nemo. 1. qv. 1. c. 17. & c. consulendum 17. dist. 29.* inde Clericus ad secularem iudicem confugiens de communiione Ecclesiae depellendus. *c. praebuit 1. qv. 5. c. 21.* imo ipsi Principes ab examine causarum episcopatum exclusi exclamante GREGORIO. I. *in c. 6. qv. 5. c. 21.* Si episcoporum causae mihi commissorum apud piissimos dominos aliorum patrociniis disponuntur, infelix EGO in ecclesia QUID FACIO? Impetrata igitur singulari Jurisdictione ad majora adspirabat Romanus Praesul, sibi potestatem aliquam legislativam a Deo immediate concessam, attribuens *c. 3. S. in his omnibus. Dist. 21. & c. si romanorum*

*norum I. Diff. 19.* qua nulla superior, ita ut omnibus legibus atque consuetudinibus Pontificum statuta obrogare possent, asserente NICOLAO I. *in c. consequens I. Diff. 17.* vehementissimo papalium dignitatum defensore. Idem *in cap. pater 10. qu. 3. c. 9.* apostolicae sedis iudicium à nemine esse retractandum, statim confidenter proponit. Primis quidem temporibus, cum monarchia illa universalis in herbis quasi adhuc esset frequentius ecclesiae nomine utebantur Pontifices, ecclesiae iura esse professi, quae paulo post divina atque immutabili lege sibi concessa & perpetuo titulo in pontificiam sedem translata perhibebantur. Erat ista aetate magna Conciliorum autoritas, & Episcopalis ordinis splendor, cui postea multum detrahebatur, subjectis conciliis papali definitioni *c. nemo iudicabit 13. c. aliorum 14. c. facta subditorum, c. cuncta per mundum 17. qu. 3. c. 9. & c. si papa 6. dist. 40.* conferatur Pii II. Constitutio quae incipit *in minoribus agentes edita 6. Calendas Maji 1463.* in BVLLAR. Tom. I. pag. 322. Inde evenit, ut soli Pontifici jus concilia generalia congregandi vindicaretur *dist. 17. & cap. 9. qu. 7. c. 13.* & Principes ac Imperatores ad quos summo jure in his conventibus praesidium, & directio spectabat precario modo admissi censeantur secundum doctrinam *c. 2. dist. 96.* Caeterum omnes Clerici in summa quoque dignitate versantes pontificiae jurisdictioni ita obnoxii fiebant, ut soli ejus tribunali addicti viderentur, imo ipsi Laici, sub praetextu causam esse spiritualem in ecclesiasticum rapiabantur forum. GREGORIUS IX. *cap. ult. X. de foro competente.* Romam omnium ecclesiarum matrem & magistram appellat, eam de omnibus iudicandi habere potestatem existimat *c. cuncta per mundum 17. qu. 3. c. 9.* omnes causas avocandi potestatem INNOCENTIUS *cap. 16. X. de appellat.* Romano Pontifici concessit, cum antiquioribus temporibus nullae, postea *causae majores* sic appellatae

tae

tae ad curiam romanam relatae fuerint, quam materiam eleganter discussit JOHANNES GERBAIS in doctissimo tractatu *de causis majoribus*: Magis adhuc judiciariae jurisdictionis fines extendebantur, ex quo causae miserabilium personarum *c. 15. X. de foro compet. c. 37. de offic. & potest. jud. Concil. Trident. cap. 1. in princip. Sess. 23.* ad judicem ecclesiasticum devolutae, & per modum denuntiationis evangelicae causae mere civiles ad eundem traherentur *c. 13. X. de judic. c. ult. de sepult. c. 5. de raptor.* Pergebant Pontifices haud contenti jure, quod in personas Clericorum imo & Laicorum consecuti erant, sibi porro omnes res ecclesiasticas infinito quodam jure subditas esse volebant. Jam audiebantur in ecclesia illae doctrinae: quicquid Deo consecratum ad jus pertinere sacerdotum *c. 3. qv. 2. c. 12. ecclesiasticas facultates Laicum non disponere posse c. 24. qv. 7. c. 16. & c. 10. X. de Constit. nec res ecclesiae Principum autoritate distribuendas c. 19. qv. 1. c. 16.* illumque excommunicandum, qui Principum auxilio res invadat ecclesiae *c. 22. qv. 2. c. 12.* e contrario Pontifici Romano datam esse potestatem disponendi de Ecclesiae facultatibus *c. 1. Dist. 23.* hinc nullam valere rerum ecclesiasticarum alienationem *c. 5. X. de rebus eccles. non alien. Extravag. ambrosiae de rebus eccles. non alien.* Idem jus in res spirituales, uti appellant, imo ipsa beneficia, quae plerumque Laicorum munificentia, & aliquando superstitiosa liberalitate fundata erant, sibi arrogabant Romani Antistites *c. 2. X. de praebend.* Tanta exinde in Republica factae sunt clades: ita bellum inter sacerdotium & imperium gravissime irritatum, ut funesta harum contentionum vestigia in omnibus ferme christianis conspiciantur rebuspublicis. Et sane omnem mensuram excessisset romanorum Pontificum potestas si quaecunque beneficia conferendi potestatem in manus suas redegerent: affluebant immensae divitiae: hac

hac ratione innumeris Clericorum numerus indies cre-  
 scens sedi pontificiae deditissimus, & ad promovendos illi-  
 us ausus semper paratus inveniebatur, cum à solo Ponti-  
 fice dignitates, praebendae, beneficia, divitiae, similiaque  
 expectanda essent. Sed obstiterunt saepius Laici mascule  
 tantis conatibus, quorum felix successus, universalem il-  
 lam monarchiam ad summum apicem sine dubio perdu-  
 xisset. Hinc tot limitationes affectati beneficia conferendi ju-  
 ris tam in jure Canonico communi, quam in particulari-  
 bus pactis rerumpublicarum cum Sede Romana observa-  
 bimus *l. 2. c. 3. de praebend. in 6. Clement. 1. eod. Extravag. 4. de e-  
 lect. inter comm. & Extravagant. execrabilis Johannis XXII.*

Sed eo jam res delapsa erat, ut romani Praefules cum  
 augustissimis Principibus de loco & praerogativa contem-  
 derent. Primo quidem Sacerdotes Regum & Principum pa-  
 tres ac magistri dicebantur *c. 9. dist. 96.* proinde sacerdotes  
 à Regibus esse honorandos non judicandos *c. 41. qu. 11. c. 11.*  
 tandem prorsus mutato dicendi genere, potestatem legis-  
 latoriam ecclesiasticam imperare civili docebat *c. 1. dist. 10.*  
 imperium non praeesse sacerdotio, sed subesse *c. 6. x. de offic. jud. tribunalia Regum sacerdotali potestati esse subjecta  
 c. 6. Dist. 10. Extravagant. 1. de majorit. & obed. Principes non o-  
 bedientes episcopis infames effici c. 11. qu. 3. c. 11.* Quid nunc  
 potestati seculari relictum, quam durum sacerdotii jugum  
 non tam premebat, quam supprimebat? In majora indies  
 ruebat audacia romana, cujus specimina tam clara & ma-  
 nifesta fuerunt, ut jam antiquissimis temporibus Viri fini-  
 ceri de hoc corrupto ecclesiae statu, & summa, quae fiebat  
 Principibus Secularibus injuria conquesti fuerint.

Hic subsisto ad injuriosas illas conclusiones haud pro-  
 gressurus, quae pleno alveo ex adductis principiis fluxe-  
 runt. His doctrinis omne Principum jus circa sacra, imò  
 omnè jus publicum destructum, omnem majestatem in re-  
 publica sublatam, subditos ab obediendi necessitate abso-  
 lutos,

Intos, & summam omnium rerum in Pontificum ambitio-  
 sam regnandi libidinem translata[m] videmus.  
 Testis est GREGORIUS VII. inter Pontifices, qui  
 Monarchiam universalem ad supremum evexerunt fastigi-  
 um, sane maximus. Ex Regestis hujus Pontificis *L. II. Ep. 55*  
 compendium quasi juris publici curiae romanae relatum  
 prehendimus: "Quod solus Papa possit uti insignib[us] im-  
 perialibus: quod solius Papae pedes omnes Principes de-  
 osculentur; quod unicum est nomen in mundo videlicet  
 Papae: quod illi licet Imperatores deponere: quod senten-  
 tia illius a nullo debeat retractari, & ipse omnium solus re-  
 tractare possit: quod a nemine judicari debeat: quod nul-  
 lus audeat condemnare apostolicam sedem appellantes: quod  
 ecclesia Romana nunquam erravit, nec in perpetuum Scri-  
 ptura testante errabit: quod a fidelitate iniquorum subje-  
 ctos potest absolvere." Secuti sunt doctrinam illustri praee-  
 cessoris subsequentes Pontifices, quos non tam animus,  
 quam saepius vires & ingenium tanti operis capax, & Gre-  
 goriano par ac aequale defecit. Nihilofecius possessionem  
 aliquam vel quasi summam in Christiano orbe potestatis ac  
 dignitatis adepti sunt Romani Praesules. Aperte fatetur SA-  
 CRARUM CEREMONIARUM Liber Tertius, Romanum Pon-  
 tificem nemini mortalium reverentiam facere asurgendo  
 manifeste, aut caput inclinando, aut detegendo: omnes au-  
 tem mortales, & praesertim Christi fideles cujuscunque  
 sint dignitatis, & praeeminentiae, cum primum in con-  
 spectum Pontificis adveniunt, distantibus spaciis ter debe-  
 re ante illum genu flectere: "cujus tamen arrogantiae  
 proditae romanam suppeduit aulam, testante PARIDI de  
 CRASSIS in *diario*; excerpta dedit MABILLONIUS. in  
*Museo Italico*. Tom. II. p. 587. aliis strenue Monarchiam  
 illam defendentibus, quorum copiosam aciem instruxit  
 FRANCISCUS JOANNES THOMAS DE ROBERTI  
 in *Bibliotheca maxima Pontificia*. Modestius quidem ju-  
 niores

niores eminentissimae pontificiae potestatis assertores loqui inceperunt. BELLARMINUS distinctione acerbam illam doctrinam emollire tentavit, Romano Pontifici competere in secularia Principum negotia POTESTATEM aliquam INDIRECTAM, docens, quo tamen disputandi temperamento parum se commendasse perhibetur aulae romanae. BARCLAJUS *Cap. 13. de Potestate Papae.*

Nullum vero inter Christianas, respublicas imperium effrena Pontificum regnandi, & secularibus negotiis se immiscendi cupido magis afflixit, quam S. R. IMPERIUM, quo enim illud eminentius quo potentius, eo majori cum impetu oppugnandum iis videbatur. Accedebat forte immane odium in Romani Imperatoris titulum, qui Romam, ipsosque sedis romanae Praefides obsequii genuino urbis & imperii domino praestandi memores reddere debebat, eos autem ad excutiendum justissimum optimorum Principum dominium magis concitabat. Non digrediar ad antiqua historiarum monumenta in ambitiose quaesitum dominatum papalem querelarum plenissima. Neminem in historia medii aevi vel mediocriter versatum ea fugere possunt. Multa collegit SIMON SCHARDIUS in libello de perfidia, insolentia ac tyrannide Pontificum Romanorum erga Imperatores Germanicos, eas quoque sanguinolentas lites nervose ac docte delineavit Collega honoratissimus Dn. DITHMARUS *Professor Histor. in hac Academia Celeb. in Vita GREGORII VII. & Historia belli inter Imperium & Sacerdotium:* Mihi modo in illa principia inquirendum, quibus tanquam justissima facta hanc jurium majestaticorum violationem palliare voluerunt Romani antistites.

Non repetam, quae superius fuerunt dicta. Recensui praedicta illa communia, quae jus pontificium omnibus Regibus atque Principibus persuadere tentavit. Ea enim, quod Sacrum Romanum Imperium concernit, non tam limitata, quam potius molestiori ampliacione infelicissimae in his turbis reipublicae appli-

applicata fuerunt. Non modo cito obliuiscabantur Romani Pontifices beneficiorum, quae ab antiquis Regibus & Imperatoribus acceperant. Advocatiam Imperatorum eorumque in romanam sedem dominium quamvis admodum molle, & magna cum existimatione ac veneratione pontificiae sedis gestum, solo tamen domini nomine exosum, diu ferre non potuerunt. Omni dubio caret, auspiciis romani Imperatoris electionem Romani Episcopi factam. Eminent hujus juris vestigia in ipso decreto: *Evoluamus c. HADRIANUS 22. c. Agathe 21. c. in Synodo 23. Dist. 63.* Prolixius de relatione factae electionis pontificiae ad Principem loquitur antiquissimus LIBER DIURNUS *Tit. 14.* Hinc quoque imperiali iudicio se submittit suosque succesores LEO IV. *in c. 41. c. 2. qu. 7.* Multum ab hac doctrina recesserunt Successores: novas de eligendo Pontifice condiderunt leges inconsultis Imperatoribus vid. *Dist. LXXIX. à quibus summus Pontifex sit eligendus,* quas PIUS IV. GREGORIUS XIII. alique novis auxerunt sanctionibus. Rerum prorsus mutabatur facies; ejectis enim omnibus Laicis ab electione Pontificum *c. 1. Dist. 63.* negatis Imperatori in sedem pontificiam iuribus antiquis *c. 6. Dist. 96.* & constituta Pontificis ab omni seculari imperio immunitate *c. 7. Dist. 96.* imprimis adempta Imperatori Jurisdictione in curiam romanam *c. 8. Dist. 96.* Imperatorum Constitutiones irritae reddebantur, imo tanta erat Pontificum temeritas, ut Imperatores Pontificibus non praeesse sed subesse dicerentur *c. 11. Dist. 96.* Propterea romana curia nunc electioni Imperatorum se immiscebat, iuramenta ab iis exigebat. *c. tibi domino 33. Dist. 64.* & frivolis & futilibus argumentis jus aliquod examinandi electum sibi appropriabat *c. 34. x. de elect. & elect. potest.* tanta quidem causae suae fiducia, ut Imperatorem deponi posse iuribus divinis atque humanis doceret. *c. 2. de sent. & re iudic. in 6. c. 2. Clement. de Sent. & re iudic.* Eleganter & ex historiarum fide violentam hanc in jura imperii injectionem descripsit SIMON SCHARDIUS *in analysi juris,* quod olim in approbandis Pontificibus Imperatores habuerant, & quomodo vice versa imperatoriae majestatis confirmatio à Pontificibus introducta & confirmata sit apud GOLDAST. *in Politica imperii Parte IV. pag. 309.* Quae quidem ita sunt comparata, ut haud verosimile videatur, inveniri adhuc nostro tempore Scriptores, qui



qui jejunis illis atque ineptis fabulis delectari queant, quarum tamen fautores vidit nostra aetas, vacante post obitum Invictissimi Imperatoris JOSEPHI folio imperatorio, quem tamen errorem solide perstrinxit *Illustris. Autor scripti gallici remarques nouvelles sur le Bref de Sa Saintete à S. M. L' Imperatrice Mere.*

Aequè magna & summi praejudicii sunt canonicae Jurisprudentiae dogmata quae in reliquis publici juris capitibus venditatur. Non dicam quantis difficultatibus publica imperii negotia laborent, ex quo maxima juris circa sacra pars in manus curiae romanae prolapsa est, de qua jactura Germania nostra non satis conqueri potest. Vix enim exprimi potest, quantum patriae instituta, quoad constitutionem Episcoporum, Jurisdictionem in personas ecclesiasticas, forum ecclesiasticum, a juris publici universalis principiis divortium fecerint: quae omnia in praesenti silentio praeterimus, cum illae hypothefes ita propriae imperio nostro factae sint, ut quasi in illius formam & naturam transierint, cujus emendationem sive mutationem hodiernus rerum status haut sperare permittit. Neque hic differendi locus est de praejudiciis juris canonici, quae in causis Statuum Evangelicorum publicis imprimis jure circa sacra forte notanda essent, cum lubricum illorum fundamentum Viri doctissimi cordate aliquot abhinc annis demonstraverint, quae abunde ab iis tractata non repetenda nobis videntur: Plura monenda restant, quae non sine imperii injuria ex pontificii juris traditionibus haecenus retenta fuerunt. Quid dicam de juramento, quo Germaniae Praefules sedis Pontificiae obstringuntur *c. 4. X. de jurejur.* quod tranquillitati publicae, & totius Imperii salutis haud respondere, cuivis legenti & leviter de Germaniae statu informato videbitur. Quae confusio ex distinctione in causas *ecclesiasticas & seculares* orta sit omnes norunt, qui imperii nostri acta vel obiter inspexerunt, & optandum omnino, ut certa quadam definitione juris illius incertitudo tollatur vid. *Capitulat. Caroli VI. Art. XIV.* Non excutiam vehementissimas illas sententias, quas canonica jura de religione dissentientibus *C. 3. qv. 7. C. 23.* de immutabili jure consecratorum bonorum ecclesiasticorum, & non permissa de illis transactione *C. 4. & 7. X. de Transact.* & prohibita eorum alienatione aut oppignoratione fovent *C. 1. 2. qv. 10.* quae omnia S. R. Imperii conditionem hodiernam averfantur, & exitiali ac deploro-

deplorandae convulſioni patriam chariſſimam exponunt. Derogatum quiaem eſt his capitibus ſolemniffima illa pacis Weſtphalicae conſtitutione, & communi Imperatoris, & Statuum ſuffragio, juri Canonico, conciliorum decretis, religioſorum ordinum regulis, aut exemptionibus, concordatis cum Pontificibus &c. ſanctiſſime renuntiatum, utinam ea qua par eſt mutua animi ſinceritate atque conſtantia. Aſt quorſum tendunt doctrinae eorum, qui *forum externum* ab *interno* in his cauſis diſtinguunt, & in illo hujus vel illius transactionis obligationem externam non internam agnoſcunt. Trifteſ vidit Germania horum praejudiciorum effectus, faxit DEUS ne plures & pejores aliquando ſentiat.

Sed hic abrumpendum, ne ſtatutos diſſertationi terminos egre diamur, cum enarrata Juris Canonici in cauſis publicis praejudicia ſpeciminis loco eſſe queant. Prolixiorem de his materiis diſſerendi campum aperuit clementiſſime mihi demandatum in hac academia docendi munus, quò omni pietate fidelitate, & flagrantiffimo in ſtudioſam juventutem affectu pro viribus in poſterum defungar ubiq; veritatis abſq; livore & vanitate ſtadium teſtaturus; mihi vero à Vobis JUVENES ORNATIſſIMI, qui in ſpem patriae & reipublicae ac eccleſiae nati eſtis diſcendi ardorem conſtantem juſti rectique amorem polliceor. Ea ſpe fretus divino numine dirigente à SERENIſſIMO ac POTENTIſſIMO REGE, DOMINO MEO CLEMENTIſſIMO ad *Profeſſionem Juris primariam* evocatus hoc injunctum mihi munus praemiſſa more ſolito Oratione inaugurali, qua de *triplici Jurisprudencia, ſuperficiaria, otioſa, & ſolida*, diſſerturus ſum ordiar. Vos igitur MAGNIFICE DOMINE RECTOR, *Celeberimos Excellentiffimosque Academiae PROCERES ejusdemque Nobiliſſimos CIVES, ac omnes, qui litteris bene cupiunt, una cum GENEROſiſſima ac Nobiliſſima JUVENTUTE* ea, qua decet obſervantia atque humanitate rogo, ut brevi oratione novi officii auſpiciam facturo, honorificam ac exoptatam praefentiam praeflare, dicentique aures benignas praebere velitis, qui in id omni tempore annitar, ut de mea ſingulis inſerviendi voluntate & promittitudine ſinceroque omnia favoris humanitatis ac amicitiae documenta pari affectu compensandi animo nulla unquam dubitandi ratio relinquitur. Scrib. Francof. ad Oder. d. 28. Jun. MDCCXXIII.

Frankfurt a. O., Diss., 7720-24

ULB Halle

004 549 52X


3




f

sb.







2. D. B. V.  
DISSERTATIONE  
DE

1723,3

**JURIS CANONICI  
PRÆJUDICIIS IN CAUSIS  
PUBLICIS S.R. IMPERII,**

Ad audiendam Orationem Inauguralem

Qua  
*Professionem Juris Primariam*

clementissime sibi demandatam  
*d. 11. Jul. hora IX. matutina* (2)

in AUDITORIO JCTORUM auspicatorus est

MAGNIFICUM UNIVERSITATIS RECTOREM,  
UTRIUSQUE REIPUBLICÆ AMPLISSIMOS EXCEL-  
LENTISSIMOSQUE PROCERES, GENEROSISS.  
NOBILISSIMOSQUE CIVES,

Omnesque bonarum artium ac literarum Cultores,  
officiofissime invitat.

**CHRISTIANUS GODOFREDUS  
HOFFMANNUS,**

SACRAE REGIAE MAJESTATIS BORUSSIAE  
Consiliarius intimus, Decretalium ac Juris publici Professor,  
Facultatis Juridicae Ordinarius.

SS)

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Literis JOH. CHRISTOPH. SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.

(SS)